

## 20.

Osvaldus de Lasko OFM  
Biga salutis  
Sermones de sanctis, sermo L<sup>1</sup>

De eodem  
[Sermo tertius s. Ladislai regis]

(1) „**Constituit eum Dominus domus sue et principem omnis possessionis sue**” *Ps.* CIV, (21). – Licet Propheta hec ad literam loquatur de Ioseph, quem dominus suus Puthiphar constituit dominum super omnia bona sua, tamen rationabiliter eadem verba intelligi possunt de beatissimo rege Hungarorum Ladislao, quem Dominus Deus „**constituit dominum**” super spiritualem domum suam, id est, episcopatus et monasteria, ut sibi ordinaret, et „**constituit principem**”, id est regem „**omnis possessionis eius**” id est hominum in fide devotorum precio sui sanguinis acquisite, ut eos salubriter regeret. Ex qua Dei ordinatione tria debemus tribus, scilicet:

primo Deo, ut eum amemus,  
secundo principi, ut eum honoremus,  
tertio proximo, ut invicem excitemus.

(1.1) Primo siquidem debemus Deo pro tanto dono nobis gratiose collato, ut eum amemus, quia ut dicit Bonaventura super III: „Sicut odor et sapor cibi excitat famem in homine, nam per odorem sentitur bonitas cibi vel potus, que cognita facit appetere eum.” Sic hoc Dei beneficium genti Hungarorum impensum, quia dedit regem salutarem, triumphalem, exemplarem, obligavit, ut ametur. Hec enim est debita solutio Deo de suis beneficiis, ut amemus eum, qui bonorum nostrorum non indiget. Unde Bernardus: „Non – inquit – melius ac decentius, quam per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem donatum est.”<sup>2</sup>

(1.2) Secundo principi tam preclaro, et regi sancto et grandioso debemus, ut eum honoremus. Nam inter alia triplici de causa est aliquis honorandus.

(1.2.1) Primo propter virtutem, ut si quis est humilis, pius, misericors, obediens, pacificus etc., merito est honorandus, quia ut dicit Aristoteles, IIII *Ethicorum*: „Secundum veritatem solus virtuosus est honorandus”, quia III[I] *Ethicorum*, quod „honor est premium virtutis.”

(1.2.2) Secundo aliquis est honorandus propter dignitatem, sicut imperatores, reges, principes et prelati, quia virtualiter omnes subditi sunt in principe, sicut in computo unus denarius in linea superiori stat pro mille, unde etiam si malus est princeps in se, tamen propter dignitatem est honorandus, quia in multitudine, cui principatur, sunt aliqui virtuosus, ideo dicitur, I *Petr.* II, (17): „Deum timete, regem honorate.” Rationem assignat Apostolus, ad *Rom.* XIII, (1–2): „Quia non est potestas nisi a Deo, et qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.”

(1.2.3) Tertio quis est honorandus propter antiquitatem. Nam senes et adulti a iunioribus propter etatem sunt honorandi. *Levit.* XIX, (32): „Coram cano capite consurge, et honora personam senis.” Et quia beatissimus rex Ladislaus omnes habet istas condiciones, pro quibus honore est dignus. Fuit enim pius, benignus, misericors, iustus et ceteris virtutibus plenus, item fuit dignitate regia sublimatus, et iam multis annis regnat in beatitudine, „gloria et honore coronatus” (*Ps* 8, 6), unde bene dicitur de eo: „Salve rex benigne, Ladislave, laude

<sup>1</sup> Cf. notam primam sermonis 18. – (Madas–Horváth 2008, 310–330.)

<sup>2</sup> *Ps.*–Augustinus, *De spiritu et anima*, c. 17. – PL 40, 793.

digne et patrone pie, honor noster.”<sup>3</sup>

(1.3) Tertio proximo debemus, ut nos invicem excitemus ad amandum Deum et laudandum regem. Assurge igitur gens inclita Hungarorum in Dei amorem, exulta et iubila, „quia dedit tibi doctorem iusticie” *Iohelis* II, (23). Assurge et excitando dicas: „Laudemus viros gloriosos et patres nostros in generatione sua” *Eccli.* XLIV, (1), quia Ladislaus secundum nominis interpretationem „*laus divinitus data populo dicitur*,”<sup>4</sup> et hunc piissimus Iesus „**constituit dominum domus sue et principem omnis possessionis sue**”.

In quibus quidem verbis tres conditiones beati Ladislaus a Deo instituti regis exprimuntur, scilicet:

primo legitimum ipsius dominium, ibi: „**Constituit**”,

secundo laude dignum eius exercitium, ibi: „**dominum domus sue**”,

tertio beatorum celestium magnum eius participium, ibi: „**principem omnis possessionis**”.

(2.1) Primam dixi, quod conditionem pii regis Ladislai exprimit *Psalmus* legitimum ipsius dominium, cum dicit: „**Constituit eum**”, scilicet beatum Ladislaum regem Christus, Filius Dei. Nam quemcumque Deus principem instituerit approbando hunc ex sua institutione legitimabit, virtutibus sublimabit et glorificabit. „Domini enim est terra et plenitudo eius” (*Ps* 23, 1), et cui vult, qualiter vult, quando vult, assignabit, et non est, qui possit resistere potestati eius. Sicut terram Chananeorum, Eneorum (!), Phereeorum etc. septem gentium exigentibus eorum culpis, legitime dedit filiis Israel possidendam (cf. *Gn* 10, 17; 15, 18–20), similiter regnum Saulis propter ipsius inobedientie peccatum dedit David legitime. Pro quo est nobis notandum, quod principes constituuntur a tribus, scilicet:

primi ab elationis spiritu per ambitionem,

secundi a cupiditatis estu per usurpationem,

tertii a maiestatis nutu per debitam institutionem.

(2.1.1) Primo enim dixi, quod quidam instituuntur in dignitatem ab elationis spiritu per ambitionem. Nam sunt nonnulli, qui serviunt aliquibus etiam contra Dei precepta, aut dant dona vel promittunt, ut aliquod dominium obtineant, floreant, glorientur in terra, imperarent hominibus. De quibus dicit Chrysostomus et habetur XL. dis. c. „Multi”: „Quicumque – inquit – desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in celo.”<sup>5</sup> „Ambitio” enim, secundum Thomam, II. II. q. CXXXI, „est inordinatus appetitus honoris. Talis autem honoris appetitus tripliciter est inordinatus:

(2.1.1.1) Primo, cum quis appetit honorem de excellentia, quam non habet, quod est appetere honorem supra suam proportionem,”<sup>6</sup> ut si ille, qui est malus, desideret honorem, qui debetur bonis, quia honor, ut predictum est, debetur bonis in testimonium virtutis.

(2.1.1.2) „Secundo inordinate appetitur, cum quis cupit honorari vel exaltari non curans, quod hoc fiat ad Dei gloriam”, sed ut tantummodo suo inordinato appetitui satisfiat, cum tamen Dominus dicat, *Esa.* XLII, (8): „Gloriam meam non dabo alteri.” De huiusmodi dicit

<sup>3</sup> A verses officium 6. responzoriumának részlete, emlékezetből idézve. Helyesen:

Salve rex benigne,

Ladislai, laude digne,

Honor noster et patrone,

Pie, potens, tutor bone. (Dankó 179.)

<sup>4</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 516, 10.

<sup>5</sup> *Decretum Gratiani*, D. 40, c. 12.

<sup>6</sup> Thomas Aquinas, *Summa theologiae*, II-II, q. 131 a. 1. „Tripliciter ergo appetitum honoris contingit esse inordinatum:

Uno modo per hoc, quod aliquis appetit testimonium de excellentia, quam non habet: quod est appetere honorem supra suam proportionem.

Alio modo per hoc, quod honorem sibi cupit non referendo in Deum.

Tertio modo per hoc, quod appetitus eius in ipso honore quiescit, non referens honorem ad utilitatem aliorum.”

Apostolus, *Phil.* III, (19): „Gloria eorum in confusione, qui terrena sapiunt.” *Glossa*: „Gloria eorum terrena ducet eos ad eternam confusionem”, quia dicit Bernardus: „Quotiens preesse desidero, totiens Deum meum preire contendo,”<sup>7</sup> quod est contra rationem. Ideo Salvator etiam minimum gradum ambitionis reprehendit dicens, *Math.* XXIII, (6 et 7): „Amant primos recubitus in cenis et salutationes in foro.”

(2.1.1.3) „Tertio inordinate appetitur honor, quando quis sic appetit honorem, ut non solum non refert ad Dei gloriam et proximi utilitatem,”<sup>8</sup> immo, ut adipiscatur, multa facit contra charitatem proximi, scilicet vulnerando, spoliando, alios inflammando. De quibus XLVII. di. c. „Catholicum virum”: „Mens potentie avida nec abstinere novit a vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum, immo vult omnes conculcare, vicinos liberos in servitum redigere, ecclesiasticam libertatem infringere, ecclesiasticas personas dehonore et opprimere, quia postposito divino honore et proximi utilitate solum quod suum est, querit, non quod Iesu Christi.”<sup>9</sup> Certe non talis fuit beatus rex Ladislaus, filius Bele, cuius mater erat filia regis Polonie, de quo sic dicitur: „Pura mentis intentione Christo servire studuit, illustratus enim Spiritus Sancti gratia arridentis sibi atque blandientis mundi gloriam caducam reputans et transitoriam, esurivit et sitivit iusticiam, ut ad eternam perveniat patriam. Quamvis enim sibi mundus florens alluderet, in eius tamen corde aruerat, cuius concupiscentiis ipse crucifixus fuerat. In hoc itaque mortali corpore vivens iam non ipse, sed in ipso Christus. Ecce patet, quod »non sua, sed que Iesu Christi sunt, querebat«. (1 *Cor* 13, 5)”<sup>10</sup>

(2.1.2) Secundo quidam constituuntur in principatus dignitatem a cupiditatis estu per usurpationem. Nam ad hoc, quod quis sit verus dominus alicuius possessionis, necesse est, ut legitimo titulo possideat, non usurpet, nec modico precio propter metum ab aliquo extorqueat, nec per calumniam aliquem privet sua hereditate, quia talis fur est et latro, et continue est in peccato et statu damnationis eterne. Donec satisfaciatur, nec tali domino subditi tenentur obedire et solvere tributum. O stultitia humana, fatuitas maxima appetere donationem, quam naturalis conditio nostra suadet fugiendam. Nam natura omnes homines equales fecit, que non preposuit hominem homini, nisi per rationis abusum peccando se faciat brutum. Bernardus: „Nihil bestialius homine, qui est ratione vicens, et ratione non utens,”<sup>11</sup> dum enim homines utuntur ratione, tunc sunt similis conditionis. Unde Gregorius in *Moralibus*: „Non est data homini prelatio, ut dominetur hominibus, sed ut »presit bestiis terre, piscibus maris et volatilibus celi« (Gn 1, 26), et si indurent facies eorum, ubi non delinquimus, pares sumus.” Modo vero homines sunt sic vitiosi et infirmi, quod unam corporis partem, scilicet oculum, linguam vel aures nesciunt bene regere, et volunt aliis dominari, et ex hoc servi efficiuntur demonum, prout scripserunt Bragmanni Alexandro dicentes: Tu omnium hominum acquirendo dominium servum te facis omnium demoniorum, in eorum servitum redigens universitatem membrorum tuorum.

Duplici enim ex causa tyrannos et crudeles permittit principatum sibi usurpare Deus.

(2.1.2.1) Primo propter exercitium bonorum, nam si Nero non fuisset, quomodo Petrus et Paulus martyrio coronati fuissent. Unde Augustinus: „Omnis malus aut ideo vivit, ut convertatur, aut ut boni per eum exercentur.”<sup>12</sup>

(2.1.2.2) Secundo regnare permittit malum principem propter populi mali punctionem. Hinc dicit Dominus, *Osee* VIII, (4): „Ipsi regnaverunt et non ex me”, super quo Hieronymus et habetur VIII. q. I: „Audacter fortasse aliquid dicimus, tamen quod scriptum est dicimus,

<sup>7</sup> Bernardus, *Sermones super Missus est*, Hom. 1. – PL 183, 60B–C.

<sup>8</sup> Cf. Thomas Aquinas, *l. cit.*

<sup>9</sup> *Decretum Gratiani*, D. 47, c. 6.

<sup>10</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 516, 21–517, 3; 519, 2–4.

<sup>11</sup> Bernardus, *Sermones in Cantica canticorum*, Sermo 35. – PL 183, 966B.

<sup>12</sup> Cf. Augustinus, *Sermones de Scripturis*, Sermo 15, c. 9. – PL 38, 119.

non semper princeps populi et iudex ecclesie per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt, si mali sunt actus nostri et operamur maligna in conspectu Domini, nobis dantur principes secundum nostrum meritum.”<sup>13</sup> Hinc et *Iob XX(X)IV*, (30) dicit: „Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.” Et, *Osee XIII*, (11), dicit Dominus: „Dabo vobis regem in furore meo.” Nempe non sic fuit constitutus beatus Ladislaus rex, qui „erat copiosus in misericordia, longanimis in patientia, pietate rex serenus, gratiarum donis plenus, cultor iusticie, patronus pudicie, consolator afflictorum, sublevator oppressorum, pius pater pupillorum.”<sup>14</sup>

(2.1.3) Tertio quidam instituuntur ad principatum a maiestatis nutu per debitam institutionem, quando videlicet hereditario iure succedit bene morigeratus, aut per divinam ordinationem propter rectoris seu principis vite puritatem, aut instituende persone dignitatem et populi utilitatem, sicut Dominus proiecerat Saulem propter peccatum inobedientie, et constituerat David propter eius idoneitatem. Ideo dicebat Dominus (cf. *Act 13*, 22): „Inveni regem secundum cor meum.” Sic piissimus Deus constituit hunc beatum Ladislaum regem, qui tam iure hereditario, quam divina ordinatione regnare debuit. „Nam in secundo ingressu Hungarorum in Pannoniam primus princeps fuit Arpad, secundus Zolthan, tertius Taxon, qui genuit Geysam, patrem sancti regis Stephani regis primi, et Michaellem, qui genuit Wasal (!), qui per reginam Kesla, uxorem sancti regis Stephani, per effossionem oculorum fuit interfectus, et Calvum Ladislaum, qui genuit Andream, Belam et Leventhe. Bela enim genuit tres filios, duos in Polonia, scilicet Geysam et hunc beatum Ladislaum, et Lampertum in Hungaria. Andreas vero genuit Solomonem, qui dum coronatus regnaret, corruptus per pravorum consilium machinabatur contra Geysam, quem Dominus, sicut Saulem, deiecit de regno, et beatum Ladislaum, ut alterum David prefecit populo”, ideo optime dicitur de eo: **„Dominus constituit eum dominum domus sue, et principem omnis possessionis.”**

(2.2) Secundo verba thematis exprimunt beati Ladislai laude dignum exercitium, quia dicitur, quod **„Dominus constituerit eum dominum domus sue”**, qui optime rexit domum mentis sue hospicium Spiritui Sancto preparando, et domum carnis eam mortificando, et talis est dignus ordinari supra alios Christianos, ut dicit Apostolus, I *Timoth.* III, (5): „Si quis preesse domui sue nescit, quomodo ecclesie Dei dignitatem habebit.” Nam quemcumque Dominus Deus ad dignitatem „secundum cor suum”, id est beneplacitum ordinavit, ille debet se exercitare circa tria, videlicet:

- primo circa seipsum,
- secundo circa Deum,
- tertio circa proximum.

(2.2.1) Primo dixi, quod princeps quilibet constitutus a Deo debet se exercitare circa seipsum secundum regulam a Domino, *Deuter.* XVII, (16) datam, ubi ait: „Cum fuerit constitutus rex, non multiplicabit sibi equos,” quorum scilicet numerositate sit subditis onerosus. Equos multiplicare est, plures quam necessitas exigit vane glorie causa congregare, multo minus licet eis multiplicare canes, volucres, ioculatores. Hinc Augustinus, li. *De civitate Dei*, ca. XIV: „Reges felices dicimus, si iuste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium et obsequio obsequendo nimis humiliter salutantium non extoll[un]tur, si se homines esse meminerint, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum maiestati eius famulatum faciunt.”<sup>15</sup> Felix quippe rex noster erat, in quo ultra predicta hec tria copiose erant, videlicet:

- primo humilitas stupenda,
- secundo castitas laudanda,
- tertio austeritas sequenda.

<sup>13</sup> *Decretum Gratiani*, C. 8, q. 1, c. 18.

<sup>14</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 9–13.

<sup>15</sup> Augustinus, *De civitate Dei*, lib. 5, c. 24.

(2.2.1.1) Primo erat in isto beato rege Ladislao humilitas stupenda. Nam soli humiles sunt securi et Deo accepti, et testimonio Christi exaltandi. Unde Isidorus: „Si humilitatem tenueris, gloriosus eris, descende, ut ascendas, humiliare, ut exalteris, ne exaltatus humiliaris, humilitas casum nescit, lapsum non novit, qui sibi visus est parvus, ante Deum magnus est, et qui sibi displicet, Deo placet.”<sup>16</sup> Cuius rationem assignat Gregorius sic dicens: „Nunquam vera humilitas et obedientia sine charitate aut fuerunt aut esse potuerunt.”<sup>17</sup> Et infra: „Omnis enim labor sine humilitate vanitas est, humilitas vera nec ipsa irascitur, nec alios irasci permittit, humilitas est precursor virtutis. Sicut enim Iohannes trahens ad Iesum omnes, ita et humilitas precursor est charitatis, et qui non habet charitatem, perdet vitam.”<sup>18</sup> Optime namque dicit beatus Hieronymus, quomodo per humilitatem quis exaltetur coram Deo dicens: „Ad summitatem virtutum non potentia, sed humilitate pervenitur,”<sup>19</sup> „ergo in summo honore summa sit tibi humilitas.”<sup>20</sup> Hanc stupendo modo habuit beatus Ladislaus, licet omnia fomenta superbie haberet, quibus vani hominum filii intumescunt. Erat enim regali prosapia sublimatus dignitate regia, insuper „in naturalibus bonis divina gratia speciali preeminencia supra communem hominum valorem pretulerat. Erat enim manu fortis, visu desiderabilis et secundum phisonomiam leonis magnas habens extremitates, id est humeros, brachia, manus etc. Statura procerus ceteris hominibus ab humero supra preeminens, ita quod plenitudinem donorum ipsa quoque corporis species imperio digna declararet.”<sup>21</sup> Stupenda profecto virtus humilitatis est inter tanta superbie incitamenta non inflari. Unde Bernardus: „Non omnino magna virtus est humilitas in abiectioe, sed magna profecto et rara virtus est humilitas honorata.”<sup>22</sup>

(2.2.1.2) Secundo in nostro beato rege Ladislao erat castitas laudanda. Nam in tantum dilexit castitatem, quod potius voluit tantus rex sine herede mori, quam rursus aliam uxorem accipere, sciens, quod castitas, ut dicit Chrysostomus, est res angelica, per hanc enim solam singulariter homines angelis simulantur, et vincitur natura virtutibus. Inter omnia enim Christianorum certamina duriora sunt prelia castitatis, ubi quotidiana pugna et rara victoria. Nemo certe viribus propriis potest servare castitatem, quia sic dicit *Sap.* VIII, (21): „Scio, quia continens esse non potero, nisi tu dederis mihi.”

(2.2.1.3) Tertio in isto beato rege austeritas sequenda erat, sciens enim, quod cum carnis mortificatione pervenire potest quis ad Christum, iuxta illud, ad *Gal.* V, (24): „Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum viciis et concupiscentiis.” Qui vero secundum carnem vivunt, moriuntur. Ideo Apostolus utiliter quemlibet salvandum contulit, ad *Col.* III, (5): „Mortificate membra vestra, que sunt super terram”, quasi diceret, quia dum erunt sub terra, dilacerabuntur a vilissimis vermibus tamen inutiliter. Similiter in inferno affligentur sine fructu. Ideo beatus Ladislaus „ieiuniis et orationibus iugiter insistebat, peccata populi plangebatur, et in ara cordis semetipsum hostiam vivam Deo offerebat, quod si nocturnis vigiliis et prolixioribus orationibus ipsum fatigari contigisset, non delectatum thorum repetebat, sed in exedris ecclesiarum paululum pausabat.”<sup>23</sup>

(2.2.2) Secundo princeps constitutus a Deo debet se ordinare circa Deum maxime in tribus, scilicet:

- primo in ipsius honoris promotione,
- secundo illius bonitatis contemplatione,
- tertio in eius servitutis se obligatione.

<sup>16</sup> Isidorus, *Synonyma de lamentatione animae peccatricis*, lib. 2. – PL 83, 850 A, B.

<sup>17</sup> Defensor Locogiacensis, *Scintillae*, cap. 4. – PL 88, 610C.

<sup>18</sup> Loc. cit. PL 88, 610C–D.

<sup>19</sup> Hieronymus, *Commentaria in Matthaem.* – PL 26, 144C.

<sup>20</sup> Augustinus, *Sermones suppositi de diversis*, Sermo 297. – PL 39, 2314.

<sup>21</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 14–21.

<sup>22</sup> Bernardus, *Sermones super Missus est*, Hom. 4. – PL 183, 84C.

<sup>23</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 14–19.

(2.2.2.1) Primo princeps debet se ordinare circa Deum, ut honorem divinum promoveat, quia propter hoc specialiter ordinatur, ut catholicam fidem a corrumpentibus defendat, et in suo dominatu Deo debitum honorem impendat, vice cuius principatur. Unde dicit sanctus Thomas, II. II. q. XCI. ar. III, quod „non solum princeps, sed etiam quilibet homo obligatur laudare Deum sub pena damnationis eterne, quia ad hoc est creatus”, ut dicitur, *Deuter.* XXVI, (19): „Omnes gentes creavit in laudem et gloriam nominis sui.” Nam si patrem honorare tenemur, qui ad miseras et mortem genuit, multo magis, qui patrem et nos in laudem et honorem creavit.

(2.2.2.1.1) Sed quidam Deum honorant labiis tantum, de quibus, *Esa.* XXIX, (13), dicitur: „Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.” *Glossa*: „Horum laus est inutilis.”

(2.2.2.1.2) Secundo quidam Deum honorant corde tantum, dum delectantur in Dei bonitate, pietate, maiestate etc., et talis honor est Deo acceptus, iuxta illud, *Ioh.* IV, (24): „Deus spiritus est, et qui eum adorant, in spiritu et veritate oportet adorare.”

(2.2.2.1.3) Tertio quidam Deum laudant corde simul et ore. *Psalms.* (33, 2): „Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.”

(2.2.2.1.4) Quarto quidam Deum honorant corde, ore et opere, ut qui ex devotione faciunt super calices sacerdotalia indumenta, construunt ecclesias etc., ut honor divinus amplietur in eis. Talis fuit beatus Ladislaus rex, qui corde diligendo super omnia, ore laudando, opere suum cultum ampliando laudabat Deum. Sic enim dicitur de eo: „Cum itaque pius rex Ladislaus armatus esset pietate, precipuus tamen erat humilitate, a quibus solum magna Dei potentia honoratur, omnes enim ecclesie et monasteria regalia sive ab ipso, sive a quocumque alio fundata elemosynis eius sunt locupletata. Unde merito usque in hodiernum diem elemosynas eius enarrat omnis ecclesia Hungarorum, duos quoque episcopatus ordinavit et regia largitate locupletavit,”<sup>24</sup> Waradiensem et Albenesem Gyele (!) in Transilvania.

(2.2.2.2) Secundo princeps a Deo ordinatus debet se componere circa Deum in contemplatione illius bonitatis, ut intelligat Dominum, cuius vicem gerit in terris, sed quicumque vult divina dulcedine inebriari, necesse est, ut ab omnibus viciis absterneat, bonis operibus se exercent, omnia temporalia delectamenta respuat, evagationem mentis cohibeat, crebris suspiriis Deum invitet et sincera charitate pre omnibus affectet. Dicit enim beatus Gregorius, quod „hec distare inter delicias corporis solet et cordis, quod corporales deliciae cum non habentur, grave in se desiderium accendunt, cum vero habite eduntur, comedentem per satietatem in fastidium vertunt. At contra, spirituales deliciae cum non habentur, in fastidio sunt, cum vero habentur in desiderio, tantoque a comedente amplius esuritur, quanto ab esuriente amplius comeditur. In illis appetitus placet, experientia displicet, in istis autem appetitus vilis est, experientia quo magis placet.”<sup>25</sup> Ideo invitat *Psalms* (33, 9) dicens: „Gustate et videte, quam suavis est Dominus.” Ubi *Glossa*: „Per experimentum probate, quam suavis est Dominus, et loquitur ad modum hominum suavitatem vini probantium, qui primo modicum degustant et extunc cognita vini dulcedine alliciuntur ad amplius degustandum”, sic est de gustu divine contemplationis. O filii Adam sitientes! O deliciosi delectamenta affectantes, venite et comedite, bibite et inebriamini de fonte divine bonitatis, et qui non habetis argentum, venite et accipite absque ulla commutatione. Non enim decet salvandis in mundialibus iocundari, ut dicit Augustinus, lib. *Confessionum*: „Querebam – ait – sine offensione iocundari, et ubi hoc possem, non inveni preter te, Domine.”<sup>26</sup> Idem: „Quid est, nisi impunita nequitia luxuriari, inebriari, comesationibus vacare, vanitatibus intendere, et pro his nihil in hac vita sustinere. Putant omnium securos se esse mali in deliciis, cum non

<sup>24</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 8–13.

<sup>25</sup> Gregorius Magnus, *Homiliae in Evangelia*, lib. 2, Hom. 36. – PL 76, 1266A-B.

<sup>26</sup> Augustinus, *Confessiones*, lib. 2, c. 2. – PL 32, 677.

corriguntur et non curant, quia nihil infelicius felicitate peccantium.”<sup>27</sup> Hinc et secundum Bernardum: „Bibere et comedere cum hoc seculo non est hominis sensati, sed frenetici, quia mundum cor non cum hoc seculo, sed cum Deo iocundum est et letum.” Nam illud solum verum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur. Merito igitur in ipso solo Deo est gaudendum, quia suavitate attrahit cor humanum, illuminat et in se mirabiliter elevat. Taliter beatus Ladislaus rex iocundabatur in eo. „Quadam enim nocte Waradiense monasterium ingressus est, ut oraret. Factum est autem, dum prolixius oraret, quidam cubicularius eius, qui foris eum solus expectabat pro nimia mora tedio affectus surrexit et introspexit viditque dominum suum glorificato corpore sursum in aera mirabiliter elevatum. O vere beatum virum, quem adhuc in carne constitutum carnea moles non premebat, sed meritum sanctitas et divina suavitas sublevando ad se trahebat.”<sup>28</sup>

(2.2.2.3) Tertio princeps a Deo constitutus debet se circa Deum ordinare in eius servitutis obligatione ita, ut tam corpus, quam animam bone voluntatis gladio Deo immolet. Nihil enim charius habet homo, quam vitam suam, pro qua omnia sua daret, ne amitteret, iuxta illud, *Iob* II, (4): „Omnia, que habet homo, dat pro anima”, ideo Deo nihil gratius offerre potest, quam ad honorem ipsius voluntariam mortem subire. *Ps.* (115, 15): „Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.” Hoc intelligens beatus Ladislaus „Hierosolimam se iturum voverat, ut ubi sanguis Domini nostri Iesu Christi pro redemptione nostra fusus est, ipse ibi sanguine suo contra inimicos crucis Christi dimicaret. Duces autem Francorum, Lothoringorum et Alemanorum, qui cum exercitu Domini illuc profecturi erant, omnes pariter pium regem Ladislaum digne dignum sibi ducem prefecerant, sed antequam de Francia et Alemania ceterisque occidentalibus regionibus in Hungariam convenirent, pius rex Ladislaus”<sup>29</sup> ivit in celestem Hierusalem, ubi vivum Christum et eius sepulchrum animatum templum, beatam videlicet Mariam feliciter invenit, nolens enim Dominus Deus Hungaros tam pretiosa margarita privare, sed eis tamquam singulare refugium dereliquit.

(2.2.3) Tertio princeps a Deo constitutus debet se ordinate habere circa proximum sive suos subditos, et specialiter in tribus, scilicet:

- primo in benigna pietate,
- secundo in prudentie fidelitate,
- tertio in iusticie equitate.

(2.2.3.1) Primo dixi, quod rex et princeps a Deo constitutus debet se erga proximum ordinare in benigna pietate, ut omnium suorum necessitates suas putet, et, dum poterit, omnibus subvenire intendat, sicque Christo Domino se assimilabit, qui ait, *Matth.* XI, (29): „Discite a me, quia mitis sum” etc. Unde Salomon (*Prov* 11, 19): „Clementia preparat vitam,” (*Prov* 20, 28) „misericordia et veritas custodiunt regem, et roborabitur clementia thronus eius.” Hinc et Cyprianus: „Neque promereri Dei misericordiam poterit, qui misericors ipse non fuerit.”<sup>30</sup> Quare autem nunc principes non sunt misericordes, rationem dicit Isidorus sic: „Nullus in alio misericors esse potest, qui prave vivendo in se misericors non fuerit.”<sup>31</sup> Licet enim misericordia et pietas omnibus conveniant, nulli tamen ita decenter, sicut principi, iuxta illud *III Reg.* XX, (31): „Reges domus Israel clementes sunt.” Talis fuit beatus Ladislaus rex a Deo constitutus, qui omnium indigentias suas putabat, et omnium miserias solita pietate relevabat, et si aliquando non habebat, Deus ad hoc miraculose adiuvabat. Nam dum „latrunculi Bissenorum confinia Hungarorum irrupissent, et viros ac mulieres captivos abducerent, rex pius Ladislaus eos cum exercitu persequens venit in magnam solitudinem, ubi nec habebant quid manducarent, et dum fame periclitaretur exercitus, evulsus est ipse ab

<sup>27</sup> Augustinus, *Epistolae*, Ep. 138, c. 2. – PL 33, 531.

<sup>28</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 19–520, 4.

<sup>29</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 521, 12–522, 1.

<sup>30</sup> Cyprianus, *De opere et elemosynis*. – PL 4, 606A.

<sup>31</sup> Isidorus, *Sententiae*, lib. 3, c. 60. – PL 83, 733B.

eis seorsum, et in oratione prostratus implorabat misericordiam Dei, ut qui quondam filios Israel de celo manna paverat, Christianum populum fame perire non sineret. Cumque ab oratione surgens reverteretur, ecce grex cervorum et bubalorum obviavit ei, et cum ipso simul deposita feritate venit, tulit ergo unusquisque ex animalibus quantum sibi sufficiebat, laudantes et glorificantes Deum in sancto rege per quem misericordiam consecuti fuerant.”<sup>32</sup> Hodie vere Dominus de multis principibus potest conqueri, et dicere illud, *Ps.* (13, 4): „Devoraverunt plebem meam, sicut escam panis”, sed quid talibus fiet, dicit Dominus per *Ezech.* cap. XXXIV, (2–4): „Ve pastoribus Israel”, id est populi fidelis, „qui pascebant semetipsos”, non greges. „Nonne greges pascuntur a pastoribus, lac comedebatis et lanis operiebamini”, id est extorsistis victum deliciosum, vestitum preciosum. „Quod crassum erat, occidebatis”, id est habentibus solvere calumniam imponebatis, „quod infirmum fuit, non consolidastis” per vestrum subsidium, „quod egrotum” scilicet per peccatum, „non sanastis” per bonum exemplum, „quod fractum” per consuetudinem, „non alligastis” eos ad bona compellendo etc.

(2.2.3.2) Secundo princeps a Deo institutus debet se circa proximum ordinare in prudentie fidelitate. Nam dicit Vegetius, quod nullus est natus, quem oporteat vel meliora scire quam principem,<sup>33</sup> ideo dicit Salvator, *Matth.* XXIV, (45): „Fidelis servus et prudens, quem constitit dominus super familiam suam.” Hec autem prudentie fidelitas secundum Lyram in Prologo super *Canonicas apostolorum*: in quattuor constitit, scilicet:

- (2.2.3.2.1) [primo] in contemptu temporalis prosperitatis, intuitu future beatitudinis,
- (2.2.3.2.2) secundo in sustinentia adversitatis obtentu quietis perpetue,
- (2.2.3.2.3) tertio in amore fraternitatis,
- (2.2.3.2.4) quarto in fuga carnalis voluptatis.

De his *Eccles.* IV, (13–14): „Melior est puer pauper et sapiens rege sene et stulto, qui nescit providere in posterum, quod de carcere catenisque interdum quis egreditur ad regnum.” O Deus eterne, modo horum contraria sectantur principes non advertentes beati regis prudentiam, sed sicut potentes crapulati a vino omnis sapientia eorum devorata est.

(2.2.3.3) Tertio princeps debet se circa proximum seu subditum suum ordinare in iustitie equitate, ut omnibus suis secundum Deum iusticie equitatem administret, quia „iustitia – secundum Ambrosium, li. *De officiis* – est, que unicuique, quod suum est, tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit, ut communem equalitatem custodiat.”<sup>34</sup> In qua diffinitione tria tangit beatus Ambrosius, scilicet:

- primo, ut se (recte: iuste) iudicet,
- secundo, ut ne alienum usurpet,
- tertio, ut subditos iuste defenset.

(2.2.3.3.1) Primo dixi, princeps secundum iustitie equitatem tenetur iuste iudicare, ut personam alicuius non accipiat, munera vel obsequia ne intueatur, nec favore aut amore declinet a iusticia, quia dicit Dominus, *Math.* VII, (2): „In quo iudicio iudicaveritis, iudicamini.” Et *Proverb.* XV, (9): „Qui sequitur iustitiam, diligetur a Domino.” Et quia beatus rex L a d i s l a u s sic diligebat iusticiam, quod quando actor et in causam attractus coram eo personaliter constituebantur, non respiciebat vultum eorum, ne ad unum eorum naturali inclinatione magis afficietur, ideo diligebatur a Domino et ab omni populo. Sic enim dicitur de eo: „In examinandis iudiciis non tam iudicare, quam iudicari, sibi que magis terribile iudicium imminere credebat, quam his, qui ab eo iudicabantur. Unde serenitatem iusticie lenitate temperans misericordie, talem se erga subditos exhibebat, ut potius ab eis amaretur quam timeretur. Non enim sua, sed que Iesu Christi sunt, querebat, propter quod a proprietate

<sup>32</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 520, 5–17.

<sup>33</sup> Vegetius, *Epitoma rei militaris*, lib. 1.

<sup>34</sup> Ambrosius, *De officiis ministrorum*, lib. 1, c. 24. – PL 16, 57B.

rerum et nominum quasi mutato nomine ab omni gente sua pius rex vocabatur.”<sup>35</sup>

(2.2.3.3.2) Secundo secundum iusticie equitatem princeps tenetur, ut tangit beatus Ambrosius: „ne alienum usurpet, sine hac iusticia nec civitas, nec regnum, nec provincia, immo nec societas latronum stare diu potest.” Ubi enim talis non habetur iusticia, dicit Augustinus, li. *De civitate Dei*: „Remota iusticia quid sunt regna, nisi latrocinia.”<sup>36</sup> O Deus iuste, vide nunc de solio maiestatis tue, quomodo dissipatur hereditas, conculcatur iusticia per principes, qui non solvunt suis famulis dicentes, quod non convenerunt cum eis, cum tamen eorum servitium receperunt. Item suos subditos non dimittunt disponere in morte de bonis suis, ut eis placet, aut testata non habentium consanguineos sibi usurpant, quod est rapina. Item propter eos in suis civitatibus et villis interdictum imponitur, et nihil curant. Item faciunt frequentes venationes cogentes suos ad venandum cum eorum gravaminibus, insuper conculcant vineas et segetes pauperum. Item cogunt suos subditos ad contrahendum matrimonium contra eorum voluntatem. Item spoliant, captivant et iurare cogunt volentes ad aliorum possessionem se transferre moraturos, auferentes libertatem eorum, que pro toto auro non bene venditur, et neque estimant peccatum, quia nec confitentur. Insuper tallias suis graves imponunt et exigunt cum captivitate, et angariant ad metendum fruges, ad falcandum feneta, ad vindemiandum promontoria, ad fodiendum castrorum fossas, ad erigendum sepes, in quibus pauperes labore consumpti et fame clamant ad Dominum vindictam imprecantes, et „clamor eorum introibit in aures Domini Sabaoth” (*Iac* 5, 4), quibus dicit Dominus per *Micheam* prophetam, cap. III, (1–4): „Audite principes Iacob et duces domus Israel, numquid vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, et diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt,” scilicet per labores indebitos, „et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebetes, quasi carnem in medio olle. Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos, et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis,” hec dicit Dominus. O igitur vos, domini principes, qui floretis de sudore pauperum, saginati estis de ieiunio et fame pauperum, nisi predictas iniusticias dimiseritis penitentes, et de perpetratis satisfeceritis, Domini gloriosam faciem non videbitis, ut dicit Anthoninus in III parte *Summe* sue, tit. III: „Sed multi excusantes se dicunt: Mea est hereditas, et potestatem habeo faciendi de eis et de eorum bonis.” Certe adhuc tu nescis bene tuam hereditatem, sed dicit tibi Sapiens, *Eccli* IV, (recte: 10, 13): „Homo cum morietur, hereditabit serpentes et bestias,” scilicet infernales. Nam tuam hereditatem possides per privilegium, lege tuum privilegium, si invenies, quod totiens tallias inponere possis, quotiens volueris. Certe credo, quod non invenies, sed a parentibus tuis didicisti, aut a tui similibus, qui ante te possederunt, nec secum auferre potuerunt, quia in eis tantum dispensatores fuerunt.

(2.2.3.3.3) Tertio princeps tenetur proximo, ut subditos defendet, ideo enim accipit legitimam dicam, ut eorum negotia dirigat, alias iniustus est, *Ps.* (36, 38): „Iniusti autem peribunt.” Sic faciebat beatus Ladislaus rex suos ab infestatoribus defendendo. „Nam antequam exercitus de Francia, Alemania et ceteris occidentalibus partibus conveniret in expeditione, urgente necessitate contra Bohemos profectus est,”<sup>37</sup> dic eius obitum in alio sermone conscriptum.

(2.3) Tertia conditio beati Ladislai in premissis thematis verbis insinuat bonorum celestium magnum eius participium, quia dicitur „**principem omnis possessionis eius**”, omnis autem possessionis nomine gloria celestis intelligi potest, ubi omne bonum est. Quod autem sit princeps omnis possessionis Dei, id est eterne glorie, patet in multis, quia egris sanitatem obtinuit, quia iustum ab impio eripuit, quia de celo stella emicuit, patet in articulo

<sup>35</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 518, 25–519, 6.

<sup>36</sup> Augustinus, *De civitate Dei*, lib. 4, c. 4.

<sup>37</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 521, 24–522, 2.

tertio alterius sermonis.<sup>38</sup> Rogemus igitur Dominum etc.

## 21.

Karthauzi Névtelen

Szent László királynak innepéről<sup>39</sup>

---

<sup>38</sup> Cf. Sermo 18 (2. 3).

<sup>39</sup> Budapest, Országos Széchényi Könyvtár, *Érdy-kódex*, MNy 9, 387–394. Sermo vernacularis a. 1526. – (Madas–Horváth 2008, 338–345.)